



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Richardi Arsdekin Soc. Jesu Sac. Theol. Professoris.
Apparatus Doctrinae Sacrae**

Archdekin, Richard

Dilingae, 1687

Cap. 7. Pro Dictionis Epilogo, sive Peroratione.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38464

cipua hic infra dabimus post Materiam Apparatum alphabeticum.

CAPUT VII.

Pro Dictionis Epilogo, sive Peroratione.

I. Ars quæ tradita est pro confirmatione amplificanda, & exornanda, valet etiam pro Peroratione formanda. Imo hic potissimum omnes eloquentiæ fontes & affectus exprimendi erunt, ut Auditori motum quem intendit Orator impressum relinquat.

II. In hunc finem debet ipse orator dicendo ostendere se penitus permotum esse. Nihil enim incendit, nisi ipsum prius incensum fuerit. Uti Cicero perorando pro commiseratione erga Milonem, profitebatur se non posse lachrymas continere.

III. Conficitur autem Peroratio magna parte, ex brevi enumeratione argumentorum quibus in tota oratione rem à se intentam Orator probavit, ea animis

Auditorum altius ac vehementius inculcando, hoc fere modo: Si jam ostenderimus quam sit virtus claritatis jucunda, quia hominem Deo conjungit; quam sit utilis, quia reddit regni caelestis heredem: quam sit necessaria, quia sine ea anima à Deo perpetuo separatur &c. quis eam totis viribus non quarat, & complectatur.

IV. Hæc autem enumeratio argumentorum non debet esse simplex & jejuna repetitio, sed novis subinde sententiis, ac figuris cum pondere inspersa, ac variata. Cavendum tamen ex altera parte, ne argumenta illa iterum prolixè deducantur; sed compendio obvolvantur, sic enim non esset enumeratio, sed potius altera oratio.

Consultum autem est, ut claudatur oratio per aliquam brevem, ac nervosam sententiam, quæ mentis memoriæ Auditorum quasi aculeum infixum relinquat, ut est illa S. Bernardi de mala conscientia peccatoris: *Manet anxietas non relinquitur, fugit voluptas non reditur.*

SUMMULA SEQUENTIUM

PRO PRAXI EXPEDITA INVENTIONIS MATERIÆ.

Primò, sequitur hic Apparatus Materiam, ex Sacris potissimum Litteris ordine alphabetico breviter & commodè digesta.

Secundò, sequitur brevis Index ejusdem Apparatus, ad quem facilè recurritur.

Tertiò, postea sequuntur puncta disposita per omnes Dominicas & Festa ex eodem Apparatu, & aliis quæ adducuntur in *Catechesi* nec non *Controversiis*, ceterisque materiis quæ supra in *Theologia* Tripartita pertractantur.

Quartò, Traduntur partes singulæ Doctrinæ Christianæ selectis Exemplis ac Documentis illustratæ; quibus succedunt alia ad functiones sacras pertinentia.

NOTA.

IN hac Editione varia accedunt *Addimenta*, Sententiæ selectæ, Conceptus novi, & exquiliti ad singulos Alphabeti sequentes Titulos, ad singulas Dominicas, Festa, Catechesim &c. Hæ Sententiæ, ac Conceptus adjecti facile ingentem præbent Materiam Copiam, ornatum, acumen, ac varietatem: Præsertim si latius deducantur juxta praxim Sententiæ deducendæ post finem sequentis Alphabeti infra §. 2.